adventus anno domini millesimo trecentesimo xvi° circa Avinionem
ubi tunc curia morabatur et ibi ex cardinalatu assumptus
est ad papatum ¶ De Lugduno vero curia fuit mense
septembris subsequenti recedens venit Avinionem secunda die
mensis octobris in subsequenti ubi primo sermonem curiam
publice fecerat proclamari ¶ Hic fecit unam ordinacionem
octo cardinalium quos assumpsit circa Avinionem
feria sexta in jejuniis iiii^or temporum adventus domini scilicet
xvi kalendas januarii anno domini m° ccc° xvi° quorum sunt
nomina que sequuntur. Dominus Bernardus de Castaneto
dudum Albien. tunc vero Aniciensis episcopus quem fecit
episcopum Portuensem et nichilominus episcopatum Aniciensem
tenendum commendavit eidem uno cum episcopatu suo
tunc fecit [illegible] ¶ Item dominus Jacobus de Via de
Caturco civitate nepos pape ex sorore electus
tunc Avinionensis quem fecit presbiterum cardinalem
titulo sanctorum Johannis et Pauli et sibi episcopatum
Avinionensem tenendum pariter commendavit ¶ Item
dominus Gaucelinus Johannis de Caturco civitate tunc
vicecancellarius presbiter cardinalis titulo sanctorum
Marcellini et Petri ¶ Item dominus Bertrandus de
Poieto de Castronovo Ratterii diocesis Caturcensis
presbiter cardinalis titulo sancti Marcelli ¶ Item
dominus Bertrandus de Monte Faventio de predicto castro
novo Ratterii diaconus cardinalis titulo sancte Marie
in Aquiro ¶ Item dominus Petrus de Reblayo cancellarius
Regis Francie titulo sancte Susanne
presbiter cardinalis ¶ Item dominus Gaillardus de Mota